

eis inclementer agat, a confessione horrebunt, confiteri negligent et effraenate in perditionem ibunt.

§ II. - Circa medici officium.

6. - Confessario, ut sui poenitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, *cognoscenda est origo* et causa omnium spiritualium ejus morborum.

Nonnulli confessarii, praeter species et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt. Si poenitentem dispositum vident, statim eum absolvunt; sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: *Discede a me, quia te absolvere non possum.* — Aliter procedunt boni confessarii. Hi enim prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis cum quibus [peccaverit], quo rerum concursu. Sic enim melius poterunt poenitentes corripere, eos ad absolutionem disponere et remedia salutaria adungere.

7. - His interrogationibus adhibitis, et cognita morbi origine et gravitate, confessarius procedat ad *debitas animadversiones* faciendas. Et quamvis ipse tamquam pater debeat cum charitate poenitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur, quantum opus est, eos monere et corrigere, eos praesertim qui, multis mortalibus gravati, ad Poenitentiae sacramentum raro accedunt.

Et hoc munus etiam adimplere debet, si poenitens aliqua illustri qualitate fulgeat, nimirum si fuerit magistratus, princeps, sacerdos, parochus aut praelatus, si de aliqua ^{a)} sui muneris omissione sine nimio animi sensu se accusaret.

Ait Summus Pontifex Benedictus XIV¹ confessarii admonitiones concionibus ipsis esse efficaciores. Et jure merito, quia concionatorem latent circumstantiae particu-

lares quae confessario aperte innotescunt; ideoque multo melius poterit debitas adhibere animadversiones et remedia quae morbis expediunt applicare.

Nec confessarius tunc debet attendere ad alios poenitentes, qui ipsum circumstant ^{b)}; nam, ut ajebat S. Franciscus Xaverius², melius est paucorum confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas et sine fructu.

Hic animadvertere oportet, quam perperam agant illi confessarii qui, si poenitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, statim a se eum abire jubent. Sciant propterea istiusmodi confessarii, validis niti rationibus sententiam illorum DD. (*Lib. VI n. 608, v. Hic adverte*) qui volunt, pro viribus teneri confessarium poenitentem, licet accedat indispositus, ad absolutionem disponere; consideranda ei proponendo, v. gr. injuriam maximam qua Deum suis sceleribus affecit, periculum imminens ejus damnationis etc. Et parum refert quod alii expectent aut inconfessi discedant. Confessarius enim de hoc tantum, qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis in die iudicii rationem reddere debet.

8. - Et ita etiam confessarius tenetur *admonere poenitentem* de aliqua illius *ignorantia culpabili*, sive haec sit juris naturalis sive positivi.

Quod si poenitens tenetur ignorantia *inculpabili*; tunc, si ea esset circa media scitu necessaria ad salutem, debet ^{a)} confessarius ab hac ignorantia eum remove; si erit circa alia, de quibus potest dari ignorantia invincibilis, licet sit juris divini, et prudenter confessarius existimet admonitionem non esse profuturam ^{b)} poenitenti, tunc abstinendum erit ab admonitione et poenitens relinquendus in sua bona fide. Et in hoc conveniunt DD. etiam rigidioris sententiae. Ratio est, quia magis cavendum est a periculo peccati formalis

cisci Xaverii, libro 6, capite 17, in fine (editio Bononiensis 1746).

7. - ^{a)} « Si de aliqua gravi », fert textus italicus, necnon *Hon. Apost. tr. 21, n. 4.*

^{b)} Scilicet « ipsum expectant », ut habet italicus textus.

8. - ^{a)} « Debet quoquo modo » addit textus italicus.

^{b)} In textu italico legitur « admonitionem esse nocituram ».

quam materialis; quia Deus tantum formale punit; siquidem hoc solummodo in sui offensam habet. Hoc probatum est in opere morali, *Lib. VI, n. 610*, cum communi DD., paucis exceptis.

Qua de re, hic etiam cum communi (*Lib. VI, n. 611*) infertur quod, si quis matrimonium contraxisset invalidum propter aliquod occultum impedimentum, et in bona fide maneret, et contra periculum subesset infamiae, scandali aut incontinentiae, si manifestaretur matrimonii nullitas; tunc confessarius debet eum in sua bona fide relinquere, donec dispensationem a S. Poenitentiarum illi obtinuerit (excipe tamen, si dispensatio statim et facile obtineri possit). Et in hoc casu, nempe cum in bona fide vivitur, si forte poenitens se accusaret negasse debitum conjugale sine justa causa, dicunt DD. (*ibid.*), confessarium debere pariter ad hoc illum obligare, dicendo in generali, quod conjuges tenentur sub gravi invicem debitum reddere ^{c)}.

Quomodo autem se gerere debeat confessarius cum sponsis, qui jamjam contracturi sunt matrimonium nullum, et timor prudens esset peccati formalis aut scandali, si manifestaretur ejus nullitas? -- Observentur resolutiones in Opere scriptae *Lib. VI, n. 613*, ubi fuse probatum est, communem esse et tutam sententiam, posse episcopum dispensare in impedimento dirimenti, stante illa urgenti necessitate. Et si aditus ad episcopum etiam esset difficilis, et nullo modo posset evitari gravissimum periculum infamiae aut scandali, retulimus (dicto *n. 613, in fine*) sententiam auctoris operis: *Istruzione per i novelli confessori*¹, ex Roncaglia, Jordano et Pignatello², qui ait non improbabile esse, immo tutum in praxi, posse parochum vel alium confessarium declarare, quod lex impedimenti tunc non obliget

atque cesset, utpote potius nociva quam utilis. Sed observa, quae, loco citato, fusius ibi dicuntur.

Ita pariter ^{d)} omissenda esset correctio de restitutione facienda, si certe praevideatur futurum, ut poenitens, qui nunc esset in bona fide, non pareat monitioni (*Lib. VI, n. 614, v. Inferitur 2*).

9. - Nihilominus excipiendi sunt sequentes casus:

1°. Si ex ipsa ignorantia redundandum esset damnum contra bonum commune (*Lib. VI, n. 615*); quia tunc confessarius, cum ipse constitutus sit minister in bonum reipublicae christianae, tenetur praeferre bonum publicum bono privato poenitentis, licet praevideat, correctionem huic non esse profuturam.

Qua de re omnino admonendi sunt principes, praetores, confessarii, parochi et praelati, qui proprio officio desunt; quia horum ignorantia, etiam invincibilis, semper damno erit communitati, dum facili negotio alii putare possunt sibi licere, quod vident a superioribus factitari. — Et, ut docet Summus Pontifex Benedictus XIV³, eodem modo se gerere debet confessarius cum iis qui frequentant sacramenta, ne licitum judicetur ab aliis, quod impune ab his exerceri animadvertitur.

Excipitur 2°. Si poenitens interrogasset; quia tunc confessarius tenetur pandere veritatem (*Lib. VI, n. 616*). In eo enim casu ignorantia non esset omnino invincibilis, prout requiritur ad hoc ut omitti possit admonitio.

Excipitur 3°. Si brevi esset poenitens admonitioni assensurus, licet in principio non acquiescat (*ibid. v. Excipiendum 3*).

Quid autem faciendum sit in dubio, an correctio sit profutura an nocitura: vide in Opere, *ibid. v. Utrum autem*.

10. - Post debitas correctiones sive monitiones, confessario *laborandum est ad*

¹ Is est *Giordanini*, part. 2, n. 32 (edit. Bassan., 1780). - *Roncagl.*, *Universa Theol. mor.*, tr. 21, de Matr., qu. 5, cap. 1, qu. 2 (edit. Lucens., 1730). - *Jordan. Pax*, Elucu-

brationes, lib. 9, n. 262 (edit. Venet., 1693). - ² Consultationes canon., tom. 3, consult. 33, n. 5 (edit. Venet., 1736). - ³ *Bulla Apostolica constitutio*, § 20, de die 26 Jun. 1749.

^{c)} Hic videtur S. Doctor jam recessisse a sententia quam in Theologia morali, *lib. 6, n. 611*, probabiliorum judicaverat. Eo magis quod in textu italico absolute dicebat « confessarium debere pariter ad hoc illum obli-

gare »; in versione autem latina addidit « dicendo in generali, etc. » Cfr. not. c ad *lib. 6, n. 611*.

^{d)} « Juxta communem sententiam », addit textus italicus.

1°. Confessarius interroget de origine morborum.

2°. Procedat ad debitas monitiones.

Sine personarum acceptance.

Efficacitas monitionum.

Non attendat ad alios expectantes.

Casus de matrimonio invalide contracto.

De sponsis jamjam invalide contracturis.

Moneat de ignorantia culpabili.

De ignorantia inculpabili, modo moneat.

Modo non moneat.

De restitutione facienda.

Monitio facienda:

Si damnum publicum.

Casus particulares damni publici.

Monitio facienda si poenitens interroget.

Si brevi est assensurus.

3°. Poenitentem disponat ad absolutio- nem.

Res valde necessaria.

disponendum poenitentem ad absolutio- nem per actus veri doloris et propositi.

Quocirca monitos esse volo confessarios, perpaucos ^{a)} esse illos poenitentes, praesertim rudes, qui praeposito actu doloris ad confitendum accedant.

Nonnulli confessarii putant, satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi poenitentes sequenti modo interrogent: *Eja postulasne a Deo veniam de omnibus his* (quod revera non est verus actus doloris)? *An te poenitet ex corde omnium peccatorum?* Et nullo alio verbo interposito, absolutioem eis elargiuntur. — Totum ab hoc aliud est bonorum confessariorum institutum; hi enim in primis elaborant, ut poenitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant.

Eum incitet ad verum actum attritionis.

Et prius per *attritionis* actum eos praeparant, v. gr.: *Fili mi, ubi nunc esse deberes in aeternum? In inferno? Ah in illo igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret, ut te illinc eripere posses! Ibi esses moraturus, ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam aeternitatem! Igiturne te poenitet Deum offendisse, propter infernum quem meruisti?*

Advertendum hic est, non fieri actum attritionis, si quis diceret, se poenitere peccati commissi, quia meruit infernum; sed opus habet ut dicat, se poenitere offendisse Deum, propterea quod meruit infernum.

Et contritionis.

Postea curet, ut eliciatur actus *contritionis* hoc modo: *Fili mi, quid egisti? peccasti in Deum summum et infinitum bonum; nullam illius rationem habuisti. Avertisti faciem tuam ab eo; projecisti eum post tergum tuum; contempsisti amicitiam, et gratiam ejus. Eja ergo, quia offendisti Deum bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te poenitet? Detestare et odio habe super omnia mala omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affectisti. Nonne jam promptus es millies*

¹ Sess. 14, de Poenit., cap. 8. — S. Thom., infra citand. — ² Loc. cit.

mori, quam haec in posterum committere?

Notandum hic 1°. quod, si poenitens, obtenta absolutioem, etsi immediate post, confiteatur aliud peccatum, ut denuo absolvatur, ei novus actus doloris efficiendus est, cum tunc novum fiat iudicium (*Lib. VI, n. 448*).

Notandum 2°. esse probabile apud plures DD. (*Lib. VI, n. 445*), ad hoc ut confessio sit sacramentalis, debere dolore informari. Quare, cum aliquis confitetur, quin prius actus doloris praecesserit, non sufficit (cum agatur de valore sacramenti), si terminata confessione eliciatur dolor, sed requiritur amplius, ut post dolorem elicitum replicetur confessio, saltem dicendo: *me accuso de omnibus iis quae modo confessus sum* ^{b)}.

11. — Demum incumbendum est confessario, ut *applicet* ea remedia, quae opportuniora iudicabit pro salute poenitentis, imponendo ei eas satisfactiones quae magis convenient ejus morbo, et quas prudenter iudicabit illum fore executurum.

Et hoc advertatur quia, licet satisfactiones debeant respondere culpae juxta Tridentinum ¹, — quod declarat participes alienorum peccatorum eos confessarios, qui *levissima quaedam opera pro gravissimis delictis* injungunt, — nihilominus justis de causis potest confessarius minuere poenitentias, si nempe poenitens compunctione vehementi affectus sit, aut si jubilaei aut indulgentiae plenariae cureret tempus, et praesertim si infirmitate aliqua, sive corporis sive animae, laboraret. Et denique (ut paucis me expediam) semper, quando prudens timor exoritur, quod ipse correspondentem culpae satisfactionem non sit adimpleturus. — Ita communiter docent doctores cum S. Thoma (*Lib. VI, n. 509 et seqq.*).

Non negamus, in Tridentino ², haberi injungendas esse satisfactiones pro modo culpae; sed scimus etiam, ibidem subjungi,

Confessio obliti statim post absolutioem requirit novum dolorem.

4°. Applicet remedia imponendo satisfactionem.

Per se, imponenda poenitentia peccatis condigna.

Sed interdum minui potest.

Praesertim ob infirmitatem poenitentis.

Præbatur ex Tridentino.

Ex Rituali.

Ex auctoritate Sancti Thomae.

et aliorum theologorum.

eas debere esse *pro poenitentium facultate salubres et convenientes. Salubres, nimirum salutis poenitentium utiles: et convenientes, correspondentes nempe, non solum culpae, sed etiam viribus poenitentis. Unde fit, non esse salubres nec convenientes eas, quibus vires poenitentium, spectata spiritus debilitate, non sunt pares; tunc enim illis essent venenum potius quam remedium. Et in hoc sacramento potius intenditur vitae moderatio ^{a)} quam omnimoda satisfactio. Idcirco Rituale Romanum ¹ ait, confessario habendam esse dispositionis poenitentis rationem.*

S. Thomas ² dicit: *Sicut ergo medicus... non dat medicinam ita efficacem..., ne propter debilitatem naturae majus periculum oriatur; ita sacerdos, divino instinctu motus, non semper totam poenam quae uni peccato debetur injungit, ne infirmus... desperet, et a poenitentia totaliter recedat. — Et alibi ³: Sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur; ita posset contingere, quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus propter grave onus satisfactionis exstingueretur... Et subjungit: Melius est, quod sacerdos poenitenti indicet, quanta poenitentia esset... injungenda, et injungat nihilominus..., quod poenitens tolerabiliter ferat. — Et alibi ⁴: Tutius est imponere minorem debito quam majorem: quia melius excusamur apud Deum propter multam misericordiam, quam per nimiam severitatem..., quia talis defectus in purgatorio supplebitur.*

Et idem docent Gerson, Cajetanus et praecipue S. Antoninus, qui ait (vide *Lib. VI, n. 509 et 510*), eam poenitentiam injungendam esse, quam iudicatur poenitens postea verosimiliter executurus esse, et quam lubens acceptat. Et si poenitens potestetur, sibi tantas vires non esse, ut debitam persolvat poenitentiam, sic S. Archiepiscopus concludit: *Tunc*

¹ Ordo ministrandi Sac. Poenit., v. *Postremo*, n. 18. — ² Suppl. qu. 18, art. 4 (edit. Rom. 1570). — ³ Quodlib. 3, art. 28. — ⁴ Opusc. 65, de Offic. sacerdot. — Gerson, Reg. mor. (de Poenit.) n. 188 (edit. Antverp. 1706). — Cajet., Sum., v. *Satisfactio* (edit. Venet. 1611). — S. Anton., part. 3,

quantumcumque deliquerit, non debet [sacerdos eum] *dimittere sine absolutioem, ne desperet.* Cum sufficiat tunc (idem ait) imponere generalem poenitentiam, nempe totum quod boni egerit, usurpando eadem verba Ritualis: *Quidquid boni feceris etc.*; quae, opera injuncta in sacramento, ut docet Angelicus ⁵, virtute ejusdem sacramenti, majoris erunt valoris ad satisfaciendum pro peccatis.

Item addunt probabiliter doctores multi (*Lib. VI, n. 510, v. Hinc probabiliter*), justam esse causam diminuendi poenitentiam, si iudicetur poenitens hoc modo magis allici ad sacramentum. — Oh quanti valet sapiens illud consilium S. Thomae de Villanova ⁶: *Facilem unam injunxeris et acriorem alteram... consulueris.*

Expediit quoque, ut poenitens cognoscat poenitentiam, quam mereretur. Propterea potest valde prodesse, si indicentur poenitentiae canonum poenitentialium, quarum in Libro notabiliores annotantur, *Lib. VI, n. 530*.

Juvabit pariter, ut dicit S. Thomas de Villanova, suadere graviorem; postea vero solum imponere eam, quam prudenter iudicabit a poenitente adimplendam. — Insinuat S. Franciscus Salesius ⁷, et idem confirmat Rituale Parisiense (*Lib. VI, n. 510, v. Apposite*), prodesse idcirco poenitentem interrogare, si sibi ad illam poenitentiam sufficientes sint vires; alioquin in aliam commutetur.

Juvabit quoque aliquando, inter opera satisfactoria injuncta, imponere aliquam satisfactionem gravem, sed non sub gravi culpa (*Lib. VI, n. 518*); aut aliud opus aliunde praeeceptum aut debitum (*n. 513, Dub. 1°*).

12. — Ex hoc quod dictum est colligitur, quam imprudenter agant quidam confessarii, qui poenitentibus imponunt satisfactiones eorum viribus impares.

Quot istorum non dubitant absolvere recidivos indispositos, et eos pariter qui

Minui potest ut poenitens alliciat ad sacramentum.

Quaedam quae interdum juvant.

Imprudenter imponunt poenitentiae viribus impares.

10. — ^{a)} Italicus textus habet « paucos ». ^{b)} Haec utique concordant cum iis quae dicebantur, *lib. 6, n. 445*, in prioribus editio-

nibus. Jam autem a sexta editione (anno 1767) suam opinionem immutavit S. Doctor, sicuti videre est dicto loco.

tit. 17, cap. 20 (edit. Veron. 1740). — ⁵ Quodlib. 3, art. 28. — ⁶ Serm. in fer. VI post Domin. IV quadrag., n. 13, post med. (edit. Mediol. 1770). — S. Thom. de Vill., loc. cit. — ⁷ Avertissements aux conf., chap. 8, art. 1. — *Rituel. Parisien.*, de Sac. Poenit., init., § *Ubi eum* (edit. Paris. 1701).

in proxima occasione peccandi versantur; et insipienter putant eos recuperare ^{a)}, si gravibus poenitentibus a se oneratos dimitunt, licet praevideant, eos illas non esse executuros: v. gr. injungunt illi qui vix semel in anno dudum confessus est, ut octavo quovis die per annum confiteatur; quindecim decades rosarii quolibet die recitandas, illi qui ne solitus quidem fuit quinque in hebdomada recitare; disciplina, orationem mentalem, illi qui nec nomen unquam audivit. Et quid hinc eveniet? Eveniet quod, licet inviti acceptent quod imponitur, ut absolutionem aucupentur, nihilominus postea nihil horum executioni demandant; et credendo se iterum esse in peccatum delapsos, quinimo putando (praecipue rudes) nullius momenti fuisse confessionem factam, quia poenitentiae impositae non satisfecerunt, propterea ad pristinum perditum vivendi modum redeunt; et perterriti ob poenitentiae impositae pondus, a confessione horrent et ita pergunt in peccatis tabescere. Et hic est fructus, qui in perniciem tot miserorum colligitur ex hujusmodi satisfactionibus, quas convenientes vocant, sed melius dicendae forent inconvenientissimae.

13. - Caeterum, extra casum infirmitatis et compunctionis extraordinariae, non bene ageret confessarius, si pro culpibus gravibus injungeret levem satisfactionem, quae inducat levem obligationem. Etenim, licet, cum expedit, possit injungi opus quod habita ratione peccatorum sit leve, attamen semper debet imponi satisfactio gravis, quae obligat sub gravi.

Et hic oportet annotare aliqua pertinentia ad praxim circa poenitentias imponendas.

Notandum 1°. Cum poenitens oblitus fuerit poenitentiae, communis est sententia (*Lib. VI, n. 520*), ad nihil amplius eum teneri, nisi facile eam iterum posset a confessario qui eam imposuit cognoscere.

2°. Non potest imponi pro occultis peccatis publica satisfactio. Tenetur autem confessarius hanc imponere, si alia via non possit occurri scandalo dato, vel honori

alicujus palam detracto. Sed non est adstringendus poenitens ad publicam poenitentiam faciendam, si ipse renuit et alio modo possit scandalum reparare, nimirum sacramenta frequentando, ecclesias visitando, ad aliquam congregationem se aggregando etc. (*Lib. VI, n. 512*).

3°. Aliquando potest imponi aliqua poenitentia sub conditione, si poenitens reinciderit (*Lib. VI, n. 524*). Sed animadvertendum, hujusmodi poenitentias fortetoties felicem non habere exitum, praecipue si per longum tempus duraturae erunt; quia faciliter postea in relapsu negliguntur et peccata multiplicantur.

4°. Si unquam poenitens sibi mutari poenitentiam ab alio confessario impositam petierit; voluit multi doctores, ei repetendam fore totam confessionem huic confessario, saltem in confuso, ut status suae conscientiae huic notitiam praebeat. Sed multi alii etiam probabiliter dicunt (*Lib. VI, n. 529, Dub. 1*) hoc non esse necessarium, cum sufficiat quod confessarius judicium faciat, ad hoc ut mutet poenitentiam, esse insufficientes poenitentis vires illi oneri ferendo; cum contra possit ex ipsamet poenitentia imposita arguere materiam peccatorum, pro quibus illa injuncta erat; et ita se dirigere potest eam aut mutando, aut diminuendo. Et probabiliter potest id confessarius (*ibid. in fine*) ex se efficere, cum praevidet quod poenitens verosimiliter poenitentiam, ut antea, negligere perget.

Attamen confessario inferiori non est permissum immutare poenitentiam impositam a superiore pro reservatis, extra casum quo poenitens difficulter posset regredi ad superiorem, et contra, gravis causa urgeret, ut poenitentia mutetur; quia tunc rationabiliter praesumitur superioris conniventia (dicto *num. 529, Dub. 2*).

5°. Non potest mutari poenitentia extra confessionem, ne ab ipso quidem confessario. Tantum potest hoc fieri ab illo immediate post datam absolutionem, et antequam poenitens a confessionali discedat (dicto *n. 529, Dub. 3*).

Poenitentia sit culpae praeteritis satisfactoria.

Sed quaedam major utilitas.

Quaedam utiles satisfactiones.

Aliqua poenitentia speciatim commendata.

Monitum S. Francisci Sal.

Remedia generalia insinuanda:

14. - Circa satisfactiones in particulari imponendas, advertendum, satisfactionem non solum debere esse medicinale, sed etiam culpae praeteritis satisfactoriam. — Regula harum requirit, ut imponantur opera carnis coercentia pro peccatis sensualibus, eleemosynae pro peccatis avaritiae, oratio pro blasphemis etc. Sed considerandum, quid magis expediat aut magis utile sit poenitenti. Quamvis autem maxime utile sit imponere sacramentorum frequentationem, orationem mentalem et eleemosynas, nihilominus praxis habet, has reddi damnosas iis qui aut nihil aut parum habuerunt horum usum.

Satisfactiones utiles generatim pro omnibus hae solent esse, nimirum: aggregari ad aliquam congregationem; quolibet vesperi (saltem ad tempus) actum doloris elicere, et quolibet mane propositum renovare, dicendo cum S. Philippo Nerio: *Domine, ne auferas hodie manus tuas a me, ne tui proditor efficiar*; visitare quotidie Sanctissimum Sacramentum et imaginem quoque Mariae sanctissimae, ab eis perseverantiae gratiam postulando; recitare rosarii saltem tertiam partem, et ter salutationem angelicam mane et vesperi, dicendo: *Mater mea, adjuva me hodie, ne Deo peccem*. (Hanc levem poenitentiam ter recitandi salutationem angelicam cum praedicta supplicatione ego plerumque solitus fui injungere, aut saltem consulere iis qui ea uti non solerent). Cum cubitum iverint, dicere in lecto: *Nunc mihi morandum fuisset in inferni igne*; aut dicere: *Veniet dies, quo mihi in hoc lecto moriendum erit*. Iis qui legere sciunt, et potissimum ecclesiasticis, quotidie legere aliquem librum de rebus spiritualibus agentem.

Monet autem S. Franciscus Salesius ¹ non esse gravandum poenitentem multis rebus, ne confundatur et terrefiat.

15. - Sermonem autem facturus de remediis quae insinuari debent poenitentibus, dico, alia esse *generalia*, alia *particularia* pro aliquo vitio particulari.

¹ S. Philip. Ner., in ejus Vita, ap. Bolland., Acta SS., mens. Maj., tom. 6, pag. 572. — ² Avertiss. aux conf., chap. 8, art. 2.

Generalia omnibus insinuanda, sunt:

1°. Amor erga Deum, cum ipse ad hunc solum finem nos creaverit. Et curetur pariter, ut poenitens cognoscat pacem interiorum qua donantur qui Dei amicitia fruuntur, et infernum quem ante tempus experiuntur qui alieni sunt a Deo; addita pernicie temporali, quam secum trahit peccatum.

2°. Saepe se commendare Beatae Virginis, rosarium recitando ^{a)}. Se commendare angelo custodi et alicui sancto peculiari protectori.

3°. Frequentia sacramentorum; et si unquam in aliquod peccatum mortale inciderit, statim confiteri.

4°. Veritatum aeternarum consideratio, et prae caeteris consideratio mortis. Et patribusfamilias insinuanda est quotidiana mentalis oratio in communi cum familia, aut saltem rosarium una cum filiis.

5°. Dei praesentia, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt*.

6°. Quolibet vesperi conscientiam scrutari cum animi dolore et proposito.

7°. Saecularibus, ut in aliquam congregationem se adscribant; et sacerdotibus oratio mentalis et gratiarum actio post Missam, et ut perlegant saltem aliquem libellum spiritualem ante et post Missam.

16. - Remedia autem *particularia* assignabuntur pro vitiorum diversitate: v. gr. illi qui aliquem odio habuit, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum, recitando pro ipso orationem dominicalem et salutationem angelicam; et cum se turbari sentit memoria injuriae illatae, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit.

Illi qui in peccata turpia prolapsus est, ut otium vitet, malos socios et occasiones aufugiat; et illi qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, ut non solum vitet proximas occasiones, sed etiam quasdam remotas, quae sibi tam debili ad resistendum facto erunt proxima. Huic praecipue imponatur, ne unquam intermittat recitare ter salutationem

Amor erga Deum.

Devotio erga B. Virginem.

Frequentia sacramentorum.

Meditatio novissimum.

Cogitatio Dei praesentis.

Examen conscientiae.

Nomen dare congregationi.

Remedia particularia contra odium.

Contra luxuriam.

12. - a) « Eos sanare » habet textus italicus.

15. - a) « Rosarium quovis vespere recitando », fert textus italicus.

angelicam in honorem puritatis Beatissimae Virginis, mane et vesperi, repetendo semper coram ejus imagine propositum non peccandi et supplicationem, ut sibi perseverantiam impetret. Potissimum autem confessarius curet, ut frequenter hic communicet, cum Eucharistia dicatur *vinum germinans virgines*.

Illi qui solitus fuit blasphemias proferre, insinuetur ut novies vel quinquies lingua signet crucem super terram; et ut quotidie, saltem semel, dicat orationem dominicalem et salutationem angelicam in honorem sanctorum, in quos execratus fuit; et ut quolibet mane, dum e cubitu surgit, renovet propositum patienter ferendi occasiones indignationis, et ter dicat B. Virgini quolibet mane: *Domina mea, dona mihi patientiam!* Id non solum inserviet, ut Maria sanctissima sibi opituletur, sed etiam ut in occasionibus reperiat habitus factus dicendi eadem verba. Aut assuescat dicendo: *Maledictum sit peccatum meum, maledictus sit daemon, etc!*

Alia remedia assignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum et munium.

§ III. - Circa officium doctoris.

17. - *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus* (Malach., II, 7). Confessario, ut doctoris officio rite fungatur, opus est ut bene sciat legem. Qui enim eam ignorat, non potest alios docere.

Sed hic advertendum est id quod scribit S. Gregorius, nempe officium dirigendi animas per viam salutis aeternae esse artem artium: *Ars artium regimen animarum*. Et S. Franciscus Salesius dicebat, officium audiendi confessiones esse omnium maximum et difficillimum.

Revera ita est: Est omnium *maximum*, quia est omnium scientiarum finis, qui nihil aliud esse debet quam salus aeterna; estque omnium *difficillimum*, quia 1º. confessarii munus requirit omnium scientiarum, omnium officiorum atque artium

S. Gregor., Regulae past. liber, part. 1, cap. 1, in init. (Migne, Patrol. lat., tom. 77, col. 14). — S. Franc. Sales., cfr. Avertiss. aux conf., introd. — 1 Is est Gior-

notitiam; 2º. quia scientia theologiae moralis complectitur tot materias inter se diversas; 3º. quia in magna parte constat ex tot legibus positivis et sacris canonicis, quorum intelligentia debet accipi secundum suam veram significationem. Praeterea quaelibet harum legum redditur difficilis, cum, ratione circumstantiarum quae casus dissimiles efficiunt, resolutiones variandae sint.

Quidam, qui eruditos et theologos magnae notae se jactant, moralistas, quos *casuistas* (nomen ignominiae apud ipsos) appellant, dedignantur ne cursim quidem legere. Dicunt hi sufficere, ut confessiones rite excipi possint, principia generalia moralis callere; illis enim posse resolvi (ajunt) omnes casus particulares.

Quis negare potest, omnes casus particulares esse principiis resolvendos? Sed totum opus et totus labor est in adaptando ad casus particulares, tam diversis circumstantiis irretitos, principia hujusmodi, utque discernatur, quodnam principiorum occurrentibus circumstantiis congruat. Nequit id fieri sine magna discussione rationum, quae pro utraque parte adsunt. Et hoc est illud quod moralistae effecerunt, cum elaborarunt in explicando, quibus principiis multi casus particulares resolvi deberent.

Praeterea hac nostra tempestate, ut dictum est, adsunt tot leges positivae, tot bullae, tot decreta quae nequeunt sciri, nisi *casuistae* legantur, qui ea collegerunt; et prout materiarum varietas postulat, ibi opportune illa inveniuntur; ideoque, quo recentiores hi moralistae sunt, eo antiquis utiliores.

Justa ratione doctus auctor *Istrus*. *per i novelli confessori*¹ affirmat, multos theologos, quanto profundiores sunt in scientiis speculativis, tanto rudiores esse in scientiis moralibus; quae, ut scribit Gerson², omnium difficillimae sunt; et nemo doctus (quantumvis sit in his versatissimus) est cui in dies nova non accidant. Ex quo infert, nunquam confessario deserendum esse theologiae moralis studium. — Doctissimus Sperelli³ pariter dicit, longe

danini, part. 1, num. 18. — 2 Tr. de Oratione, part. 3, in fine. — 3 Episcopus, part. 3, cap. 14, in fine (editio Romana 1670).

errare eos confessarios, qui totos in scholastica studio se applicant, aestimantes, tempus in morali frustra impendi: et postea nesciunt distinguere lepram a lepra; qui error (subjungit) *confessarios simul et poenitentes ad aeternum interitum trahit*.

18. - Non negamus autem, minorem scientiam exigi in audiendis confessionibus simplicium et rusticorum, quam curialistarum, negotiantium, ecclesiasticorum et similium. Minor item scientia requiritur, ut audiantur confessiones in oppido, quam in civitate: et praecipue si alicubi sit tanta confessariorum inopia, ut poenitentes deberent aut per longum tempus a confessione se abstinere, aut a) alio proficisci (*Lib. VI, n. 628*). Sed hoc non sufficit ad excusandos aliquos confessarios qui, cursim lecta aliqua brevi summa morali, temere ad excipiendas confessiones se intromittunt.

Oportet saltem, ut confessarius sciat: 1º. Ad quae sua jurisdictio se extendat. — Advertat hic quisque, sacerdotes saeculares et regulares alterius ordinis non posse audire confessiones religiosorum sine licentia suorum praelatorum; exceptis casibus, si iter agant, si alibi morerentur et socium non habeant aut alium sacerdotem idoneum ejusdem religionis. Et tunc religiosi b) possunt absolvi ab omni simplici sacerdote; cum superiores tunc, dando licentiam his subditis, intendunt eam dare juxta consuetudinem, scilicet confitendi cuivis sacerdoti idoneo (*Lib. VI, n. 575*).

Item quivis confessarius scire debet casus et censuras reservatas, saltem eas, in quas frequentius incurri solet c); prout est excommunicatio papalis, quae est in bulla *Coenae*, ob haeresim externatam, lectionem aut retentionem aut venditionem librorum haereticorum, qui ex professo de religione tractant aut continent haeresim formalem. Item, quinque

Bulla *Coenae*, seu *Pastoralis officii* Pauli V, de die 8 April. 1610; in Bullar. Mainardi. — Clemens VIII, decr. S. C. Ep. et Reg., diei 26 Nov. 1602; ap. Bizzarri, Colle-

18. - a) Hoc membrum « aut alio proficisci » desideratur in italico textu, necnon in Theologia morali, loc. cit.

b) « Exceptis Capuccinis » addidit S. Doctor

casus papales Clementis VIII, qui sunt: Percussio enormis aut mediocris clerici vel monachi, simonia realis aut confidentialis, violatio clausurae monialium ad malum finem, violatio immunitatis ecclesiasticae, et duellum. Item excommunicationes a Pontifice Benedicto XIV emanatae in absolventes complices in materia turpi (*Lib. VI, n. 553*), et in eos qui docent, posse a confessario exquiri nomen complices, etiam per absolutionis sacramentalis negationem, si [poenitens] revelare recuset (*Lib. VI, n. 491*); et aliae excommunicationes obviae, quae observari possunt in tractatu *de Censuris*.

2º. Sciat distinguere peccata venialia a mortalibus (saltem in suo genere) quae communiter occurrere solent; et de aliis saltem dubitare sciat.

3º. Sciat interrogationes quas facere debet; circumstantias peccatorum, saltem speciem mutantes; quid constituat occasionem proximam; quid inducat restitutionis obligationem; item, qualis esse debeat dolor et propositum; et denique remedia ad emendationem efficaciora.

Et ut brevi me expediam, affirmo, in statu damnationis esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad confessiones excipiendas se exponit. Deus ipse his verbis eum reprobatur: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi* (Osee, IV, 6).

Nec excusabit eum episcopi approbatio, si manifeste se noverit inhabilem. Approbatio enim non infundit scientiam necessariam, sed eam supponit. — Dico: *manifeste*. Quia, qui tantum dubitaret, bene potest, immo debet quiescere in sui superioris judicio, si saltem seduliori studio se habilem reddere satagat.

At nullus confessarius intermittere debet theologiae moralis studium; quia ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quae ad hanc scientiam parti-

ctan., fol. 17, edit. 1868. — Bened. XIV, const. *Sacramentum Poenitentiae*, diei 1 Jun. 1741 et *Apostolici muneris*, diei 8 Febr. 1745; et bulla *Ubi primum*, diei 2 Jun. 1746.

in *Hom. Apost., tr. 16, n. 100*. Cfr. superius notam a ad n. 2.

c) De censuris hodie vigentibus cfr. *lib. 7, n. 208*, notam a.

Contra blasphemiam.

Confessarius Moralium calleat;

nam ars artium regimen animarum,

opus maximum,

et difficillimum.

Quare, non spernat moralistas.

Multum enim prosunt,

Licet interdum exigatur minor scientia,

ta men damnandus inductus.

Confessarius sciat suam jurisdictionem quoad personas,

sicut et casuistae.

et quoad casus et censuras frequentiores.

Nec theologia scholastica sufficit.

Sciat peccata occurrere.

Plura alia cognoscat.

Unde mortaliter peccat non satis doctus.

Nec excusabit episcopi approbatio.

Nullus studium deponat.

nent, multa quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt; qua de re oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare.

§ IV. - Circa iudicis officium.

19. - Postremum confessarii officium est *iudicis*; et hoc importat, ut, sicut iudex tenetur prius rationes cognoscere, inde causae momenta discutere, et deinde sententiam proferre: ita confessarius prius debeat conscius fieri poenitentis conscientiae, postea ejus dispositionem inspicere, et postea absolutionem impertire aut negare.

Et quoad primum munus, quod est peccata poenitentis cognoscere: quamvis debitum examinandi conscientiam sit praecipuum poenitentis, nihilominus, quidquid alii DD. (apud Lohner¹) dixerint, non est dubitandum, quin, si confessarius cognoverit poenitentem non satis diligenter conscientiam suam discussisse, teneatur ipse eum interrogare, prius de peccatis in quae verosimiliter incidere poterat, et postea de eorum specie et numero, ut probatur ex cap. *Omnis utriusque sexus, de poenit.*, et ex Rituali Romano. Vide *Lib. VI, n. 607*.

20. - Et hic multa animadvertenda sunt:

1°. Perperam eos agere, qui rudes dimittunt, ut melius se examinent. Hoc Pater Segneri² vocat errorem intolerabilem; et jure optimo: quia hujusmodi homines, quantum laborent, difficulter se examinabunt, ut par est, et ita exacte, sicut potest ipse confessarius eos examinare; et contra, cum dimissi sunt, periculum erit ut, exterriti difficultate se examinandi, a confitendo retrahantur et in peccatis obdurescant (*Lib. VI, n. 607, v. Notamus, 1*). — Qua de re confessarius debet ipse ex hujusmodi poenitentibus peccata exquirere, eos interrogando secundum ordinem praeceptorum, praecipue si sunt famuli, aurigae, muliones, milites, satellites, caupones et alii hujus generis, qui vitam solent ducere aeternae salutis negligentes et rerum divinarum ignorantes, procul a concionibus et ecclesiis. — Et

hoc peior error esset, si ob defectum examinis dimitteret aliquem rudem, qui antea propter ruborem aliquod peccatum reticisset, quamvis repetendae essent confessiones multorum annorum, propter majus periculum quod tunc subest, nempe quod, si non redeat, peribit.

Advertat nihilominus confessarius, se non teneri tam minute hos interrogare. Interroget tantum de peccatis in quae faciliter incidere possunt, spectata eorum conditione et capacitate (*Lib. VI, n. 607, v. Notamus, 3°*). Immo cum poenitens, licet rudis, videatur sufficienter esse instructus et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis, juxta statum suum et capacitatem (alio enim modo tenetur se examinare doctus et alio rudis), tunc confessarius nihil aliud tenetur interrogare (*ibid. 2*).

2°. Notandum, melius esse, si confessarius singillatim examinet peccata statim ac ea exponit poenitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum quae audivit, aut obligandus esset poenitens cum suo gravi onere ad repetenda confessata (*Lib. VI, n. 607, v. Notamus, 4*).

3°. Errare eos confessarios qui volunt certum iudicium facere de peccati qualitate, an sit grave vel leve, exquirendo e rudibus istis, si pro mortali habebant, an pro veniali. Hi enim multoties respondent, ut casus sibi verba suggerit: et hoc experientia testatur (ut ego millies observavi). Quod si confessarius paulo post iterum interroget, respondent modo toto a primo diverso.

4°. Advertendum circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur: quando non potest haberi numerus certus, curet confessarius statum poenitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; et deinde interroget de numero, interrogando poenitentem, quoties circiter peccaverit in die aut in hebdomada aut mense, proponens ei plures numeros, ex. gr. ter aut quater, octies vel decies,

speciatim si de sacrilego agatur.

Ast examen sit moderatum.

Non rejiciatur in finem.

Rudis non rogetur de gravitate sui peccati.

Consuetudinarii rogentur de modo vivendi,

de numero circiter peccatorum.

¹ *Rit. Rom.*, de Sacr. Poenit., Ordo ministrandi, n. 15 et 16. —

² Il Confessore istruito, cap. 2, v. f. (edit. Venet. 1757).

ut videat, cui numero potius ille adhaereat. Et si poenitens numero majori adhaeret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori.

Sed in hoc confessarius advertat ne formet de numero iudicium certum. Notet frequentiam in genere, et in confuso iudicium faciat, apprehendendo peccata, quotquot sunt coram Deo.

Aliqui DD. dicunt, quod circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum pravaram et desideriorum, sufficit plerumque interrogare de tempore per quod duravit malus habitus. Sed hoc mihi omnino non satisfacit; quia potest esse, quod aliquis magis alio sit intentus ad externa negotia, aut moretur ubi sibi occurrent pauciores occasiones cogitationum pravaram; alius erit magis alio animi passione allectus. Ideoque opus est interrogationes generales adhibere de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione etc., ut formet iudicium majoris vel minoris frequentiae actuum internorum.

Segneri, il Confessore istruito, cap. 2, vers. med.

20. - a) Hic addit textus italicus: « Nam praesumptio stat pro eorum validitate, ubi nullitas non est certa ». Cfr. not. *b* ad *lib. 2, n. 2*.

Caeterum post duas vel tres interrogationes non debet angi confessarius, si ei iudicium, quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientia implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare.

5°. Oportet animadvertere quod, licet confessiones generales sint utilissimae, nihilominus non debet confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut confessiones jam factae repetantur^{a)} - *Lib. VI, n. 505*. - Unde ait Pater Segneri, non esse obligationem repetendi confessiones, nisi in casu manifestae necessitatis... aut nisi error sit evidens. — Neque relapsus sunt certa indicia, nullas fuisse confessiones factas, praecipue si per aliquod tempus non ceciderit, aut si, antequam caderet, sibi aliquam vim fecerit^{b)}. Aliud tamen iudicium fieri debet, si poenitens plerumque statim ceciderit, post duos nempe vel tres dies a confessione facta, quin aliquo modo tentationi obstiterit: tunc enim videtur moraliter certus doloris ac propositi defectus.

Vitentur scrupuli.

Confessio non repetatur sine necessitate.

Corollarium pro recidivis.

¹ Instructio pract. de confessionibus, part. 1; cap. 3, § 2, de prima oblig., v. *Quaer. 1* (edit. Venet. 1736). —

b) Textus italicus habet: « Aut si, antequam caderet, aliquam notabilem resistantiam adhibuerit ».

Officium iudicis, quod praesens se ferat.

Confessarius debet interdum interrogare.

Rudes non sunt dimittendi,

sed interrogandi,